

Universitätsbibliothek Wuppertal

M. VAL. MARTIALIS

Martialis, Marcus Valerius

AMSTELODAMI, 1628

Liber X.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-711](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-711)

Solus Iuileas cum jam retineret habenas :

Tradidit, inque suo tertius orbe fuit.

Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri :

Sudantem Getica ter nive lavit equum.

Sæpe recusatos parcus duxisse triumphos

Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit.

Templa deo, mores populis dedit, otia ferro,

Altra suis, cælo sidera, ferta Iovi.

Herculeum tantis numen non sufficit actis :

Tarpejo Deus hic commodet ora patri.

Ad Phœbum, 103.

Quadringentorum reddis mihi, Phœbe, tabellas:

Centum da potius mutua, Phœbe, mihi.

Quære alium, cui te tam vano munere jactes:

Quod tibi non possum solvere, Phœbe, meū est.

De Hiero & Asillo, fratribus, 104.

Quæ nova tam similes genuit tibi Lede ministros?

Quæ capta est alio nuda Lacæna cycno ?

Dat faciem Pollux Hiero, dat Castor Asillo,

Atque in utroque nitet Tyndaris ore soror.

Ista Therapnæis si forma fuisset Amyclis,

Cum vicere duas dona minora deas:

Mansisses Helene; Phrygiamque redisset in Idam

Dardanius gemino cum Ganymede Paris.

M. VAL.

MARTIALIS

EPIGRAMMATUM,

LIBER X.

Liber, ad lectorem, 1.

S nimius videor, feraque coronide longus

Esse liber: legito pauca, libellus ero.

Terque quaterque mihi finitur carmine parvo

Pagina, fac tibi me quam cupis esse brevem.

Ad eundem. 2.

Festinata prior decimi mihi cura libelli

Elapsum manibus nunc revocavit opus.

Nota

Nota leges quædam, sed lima rafa recenti ;
 Pars nova major erit : lector, utrique save :
 Lector, opes nostræ; quæ cum mihi Romadedisser,
 Nil tibi quod demus majus habemus, ait.
 Pigra per hunc fugies ingrata flumina Lethes,
 Et meliore tui parte superstes eris.
 Marmora Messalæ findit caprificus, & audax
 Dimidios Crispi mulio ridet equos.
 At chartis nec fata nocent, ac sæcula profunt;
 Solaque non norunt hæc monumenta mori.

Ad Priscum. 3.

Vernaculorum dicta, sordidum dentem,
 Et foeda linguæ probra circulatricis,
 Quæ sulphurato nolit empta ramento
 Vatiniorum proxeneta fractorum,
 Poëta quidam clancularius spargit ;
 Et vult videri nostra. credis hoc, Prisce,
 Voce ut loquatur psittacus coturnicis ?
 Et concupiscat esse Canus ascaules ?
 Procul a libellis nigra sit meis fama,
 Quos rumor alba gemmeus vehit penna.
 Cur ego laborem notus esse tam prave,
 Constare gratis cum silentium possit ?

Ad Mamurram. 4.

Qui legis Oedipodem, caligantemque Thyesten,
 Colchidas, & Scyllas, quid nisi monstra legis ?
 Quid tibi raptus Hylas, quid Parthenopæus, & A-
 Quid tibi dorinitor proderit Endymion ? (tys ?
 Exutusve puer pennis labentibus ? aut qui
 Odit amatrices Hermaphroditus aquas ?
 Quid te vana juvant miseræ ludibria chartæ ?
 Hoc lege, quod possit dicere vita, Meum est.
 Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyasque
 Invenies : hominem pagina nostra sapit.
 Sed non vis, Mamurra, tuos cognoscere mores,
 Nec te scire ; legas *ÆTIA* Callimachi.

In maledicum poetam. 5.

Quisquis stolæve purpuræve contemptor,
 Quos colere debet, læsit impio versu :
 Erret per urbem pontis exful & clivi,
 Interque raucos ultimus rogatores
 Oret caninas panis improbi buccas :
 Illi December longus, & madens Bruma,

Clususque fornix triste frigus extendat :
 Vocet beatos, clamiterque felices,
 Orciniana qui seruntur in sponda,
 Et cum supremæ fila venerint horæ,
 Diesque tardus ; sentiat canum litem,
 Abigatque moto noxias aves panno :
 Nec finiantur morte simplices poenæ ;
 Sed modo severi sectus Aeaci loris,
 Nunc inquieti monte Sisyphi pressus,
 Nunc inter undas garruli senis ficus,
 Delasset omnes fabulas Poëtarum :
 Et, cum fateri Furia iusserit verum,
 Prodent clamet conscientia, SCRIPSI.

De Cæsaris (Trajani) adventu. 6.

Felices, quibus una dedit spectare coruscum
 Solibus Arctois fideribusque ducem.
 Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & om-
 Lucebit Latia culta fenestra nuru ? (nis
 Quando moræ dulces, longusque à Cæsare pulvis,
 Totaque Flaminia Roma videnda via ?
 Quando eques, & picti tunica Nilotide Mauri
 Ibitis ? & populi vox erit una, VENIT ?

De eodem, ad Rhenum. 7.

Nympharum pater anniumque Rhene,
 Quicumque Ochryfias bibunt pruinas,
 Sic semper liquidis fruaris undis,
 Nec te barbara contumeliosi
 Calcatum r. ta conterat bubulci ;
 Sic & cornibus aureus receptis,
 Et Romanus eas utraque ripa :
 Trajanum populis suis ; & urbi,
 Tybris te dominus rogat, remittas.

De Paulla. 8.

Nubere Paulla cupit nobis. ego ducere Paullam.
 Nolo : anus est. vellem, si magis esset anus.

De se. 9.

Vndenis pedibusque, syllabisque
 Et multo sale, nec tamen protervo,
 Notus gentibus ille Martialis,
 Et notus populis : quid invidetis ?
 Non sum Andræmone notior caballo.

In Paullum. 10.

Cum tu laurigeris annum qui fascibus intras,
 Mane saluator limina mille teras :
 Hic ego quid faciam? quid nobis. Paule, relinquis,
 Qui de plebe Numæ, densaque turba sumus?
 Qui me respiciet, dominum regemque vocabo?
 Hoc tu (sed quanto blandius!) ipse facis.
 Leticam, sellamve sequar? nec ferre recusas,
 Per medium pugnas & prior ire lutum.
 Sæpius assurgam recitanti carmina? tu stas,
 Et pariter geminas tendis in ora manus.
 Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?
 Dimisit nostras purpura vestra togas.

In Calliodorum. 11.

Nil aliud loqueris, quam Thesea, Pirithoumque,
 Teque putas Pylade, Calliodore, parem.
 Dispaream, si tu Pyladi præstare matellam
 Dignus es, aut porcos pascere Pirithoi.
 Donavi tamen, inquis, amico millia quinque,
 Et lotam ut multum terque quaterque togam.
 Quid! quod nil unquam Pyladi donavit Orestes.
 Qui donat quamvis plurima, plura negat.

Ad Domitium. 12.

Aemiliæ gentes, & Apollineas Vercellas,
 Et Phaëtontei qui peris arva Padi :
 Ne vivam, nisi te, Domiti, præmitto libenter ;
 Grata licet sine te sit mihi nulla dies.
 Sed desiderium tanti est, ut messe vel una
 Urbano relevés colla perusta iugo.
 Precor, & totos avida cute combibe soles,
 Quam formosus eris, dum peregrinus eris?
 Et venies albis non cognoscendus amicis,
 Livebitque tuis pallida turba genis!
 Sed via quem dederit, rapiet cito Roma colorẽ,
 Niliaco redeas tu licet ore niger.

Ad Tuccam. 13.

Cum cathedralitios portet tibi Rheda ministros,
 Et Libys in longo pulvere sudet eques ;
 Strataque non unas cingant triclinia Bajas,
 Et Thetis unguento palleat uncta tuo ;
 Candida Serini rumpant crystalla rientes,
 Dormiat in pluma nec meliore Venus :

Ad nocturna jaces fastosæ limina mœchæ,
 Et mader (heu) lachrymis janua surda tuis.
 Vreter nec miseram cessant suspiria pectus.
 Vis dicam, male fit cur tibi, Tuca? bene est.

In Crispum. 14.

Cedere de nostris nulli te dicis amicis.
 Sed fit ut hoc verum, quid, rogo, Crispe, facis?
 Mutua cum peterem sestertia quinque, negasti:
 Non caperet nummos cum gravis arca tuos.
 Quando fabæ nobis modium farrisve dedisti?
 Cum tua Niliacus rura colonus aret?
 Quando brevis gelidæ missa est toga tempore bru-
 Argenti venit quando selibra mihi? (mæ?)
 Nil aliud video, quo te, credamus amicum,
 Quam quod me coram pedere, Crispe, soles.

De Apro. 15.

Dotatæ uxori cor arundine fixit acuta:
 Sed dum ludit Aper, lædere novit Aper.

In Cajum. 16.

Si donare vocas promittere, nec dare, Cai;
 Vincam te donis muneribusque meis.
 Accipe Callaicis quicquid fodit Astur in arvis,
 Aurea quicquid habet divitis unda Tagi;
 Quicquid Erythræa niger invenit Indus in alga,
 Quicquid & in nidis unica servat avis;
 Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit æno:
 Quicquid habent omnes, accipe, quomodo das.

De Macro, ad Musam. 17.

Saturnalicio Macro m fraudare tributo,
 Frustra, Musa, cupis: non licet, ipse petit.
 Sollemnesque jocos, nec tristia carmina poscit:
 Et queritur nugas obticuisse meas.
 Mensorum longis sed nunc vacat ipse libellis:
 Appia, quid facies; si legit ista Macer?

De Mario. 18.

Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
 Nec spondet, nec vult credere, sed nec habet.
 Turba tamen non deest, sterilem quæ curet amicū.
 Eheu quam fatuæ sunt tibi Roma togæ!

*Mittit librum Plinio (Cacilio Se-
cundo.) 19.*

Nec doctum satis, & parum severum,
 Sed non rusticulum nimis libellum,
 Facundo mea Plinio, Thalia,
 I perfer: brevis est labor præactæ
 Altum vincere tramitem Suburæ.
 Illic Orphea protinus videbis
 Vdi vertice lubricum theatri,
 Miranteisque feras, avemque regis
 Raptum quæ Phryga perculit Tonanti.
 Illic parva tui domus Pedonis
 Cælata est a quillæ minore penna.
 Sed ne tempore non tuo disertam
 Pulses ebria januam, videto:
 Totos dat tetricæ dies Minervæ,
 Dum centum studet auribus viroꝝ,
 Hoc quod sæcula, posterique possint
 Arpinis quoque comparare chartis;
 Seras tutior ibis ad lucernas:
 Hæc hora est tua, cum furit Lyæus,
 Cum regnat rosa, cum madent capilli:
 Tunc me vel rigidi legant Catones.

Ad Manium. 20.

Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras,
 Pendula quod patriæ visere tecta libet,
 Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis,
 Et prætextata cultus amicitia,
 Tu facis; in terris quo non est alter Iberis
 Dulcior, & vero dignus amore magis.
 Tecum ego vel sicci Gætula mapalia Pœni,
 Et poteram Scythicas hospes amare casas.
 Si tibi mens eadem, si nostri mûrta cura est,
 In quocunque loco Roma duobus erit.

Ad Crispum. 21.

Scribere te, quæ vix intelligat ipse Modestus,
 Et vix Claranus; quid, rogo, Crispe, juvat?
 Non lectore tuis opus est, sed Apolline, libris:
 Iudice te major Cinna Marone fuit.
 Sic tua laudentur fane mea cæmina, Crispe,
 Grammaticis placeant & sine grammaticis.

In Philenim. 22.

Car Spleniato sæpe prodeam mento,

214 M. VAL. MARTIALIS
Albave pictus sana labra cerussa,
Philæni, quæris? bastare te nolo.

De M. Antonio Primo. 23.

Iam numerat placido felix Antonius ævo
Quindecies actas Primus Olympiadas;
Præteritosque dies, & tutos respicit annos:
Nec metuit Lethes jam propioris aquas.
Nulla recordanti lux est ingrata, gravisque:
Nulla subit, cujus non meminisse velir.
Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus: hoc est
Vivere bis, vitæ posse priore frui.

*Ad Kalendas Martias, Poeta
natales. 24.*

Natales mihi Mariæ Kalendæ,
Lux formosior omnibus Kalendis.
Qua mittunt mihi munus & puellæ,
Quinquagesima liba, septimanque
Vestris addimus hanc focis acerram.
His vos (si tamen expedit roganti;)
Annos addite * bis, precor, noyenos: *Al: ten
Ut nondum nimia piger senectæ,
Sed vitæ tribus æreis peractis,
Lucus Elysiæ petam puellæ.
Post hæc tempora, nec diem rogabo.

*De resupplicio, sub persona Mucii
Scævola. 25.*

In matutina nuper spectatus arena
Mucius, imposuit qui sua membra focis;
Si pariens, fortisque tibi, durusque videtur,
Abderitanæ pectora plebis habes.
Nam cum dicatur tunica præsentè molesta:
Vre manum: plus est dicere, Non facio.

De morte Vari. 26.

Vare Parætonias Latia modo vite per urbes
Nobilis, & centum dux memorande viris:
At nunc Ausonio frustra promisse Quirino,
Hospita Lagæi littoris umbra jaces,
Spargere non licuit frigentia stertibus ora,
Pinguia nec mœstis addere thura rogis:
Sed datur æterno victurum carmine nomen.
Numquid & hoc, fallax Nile, negare potes?

Ad Diodorum. 27.

Natali, Diodore, tuo conviva fenatus
 Accubat, & rarus non adhibetur eques :
 Et tua tricenos largitur sportula nummos.
 Nemo tamen natum te, Diodore, putat.

Ad Ianum quadrifrontem. 28.

Annorum nitidique fator pulcherrime mundi,
 Publica quem primum vota precesque vocant,
 Pervius exiguos habitabas ante penates,
 Plurima qua medium Roma terebat iter.
 Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis ;
 Et fora tot numeras, Iane, quot ora geris.
 At tu, sancte pater, tanto pro munere gratus,
 Ferrea perpetua claustra tuere sera.

Ad Sextilianum. 29.

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem,
 Misisti dominæ, Sextiliane, tuæ.
 Et quam donabas dictis a Marte Calendis,
 De nostra prasina est synthesis empta toga.
 Jam constare tibi gratis coepere puellæ :
 Muneribus futuis, Sextiliane, meis.

De Apollinaris littore Formiano. 30.

O temperatæ dulce Formiæ littus,
 Vos, cum severi fugit oppidum Martis,
 Et inquietas fessas exiit curas,
 Apollinaris omnibus locis præferr.
 Non ille sanctæ dulce Tybur uxoris,
 Nec Tusculanos Algidosve secessus,
 Præneste nec sic Antiumve miratur.
 Non blanda Circe, Dardanisve Cajeta
 Desiderantur, nec Marica, nec Lyris,
 Nec in Lucrina lota Salmacis vena.
 Hic summa leni stringitur Theris vento,
 Nec languet æquor ; viva sed quies ponti
 Pictam phaselon adjuvante fert aura :
 Sicut puellæ non amantis æstatem
 Motâ salubre purpura venit frigus.
 Nec seta longo quærit in mari prædam,
 Sed a cubili lectuloque jactatam
 Spectatus alte lineam trahit piscis.
 Si quando Nereus sentit Aeoli regnum,
 Ridet procellas tuta de suo mensa.

Fiscina rhombum patet, & lupos vernas:
 Narat ad magistrum delicata muræna.
 Nomenculator mugilem citat notum,
 Et adesse iussi prodeunt senes nulli.
 Frui sed istis quando Roma permittis?
 Quot Formianos imputat dies annus
 Negotiosis rebus urbis hærenti?
 O janitores, villicique felices!
 Dominis parantur ista: serviunt vobis.

In Calliodorum. 31.

Adixti servum nummis here mille trecentis,
 Ut bene coenares, Calliodore, semel;
 Nec bene coenasti: nullus tibi quatuor emprus
 Librarum coenæ pompa caputque fuit.
 Exclamare liber: non est hic, improbe, non est
 Piscis, homo est. hominem, Calliodore, voras.

*De imagine M. Antonii Primi, ad
 Cædicianum. 32.*

Hæc mihi quæ colitur violis pictura, rosisque,
 Quos referat vultus, Cædiciane, rogas?
 Talis erat Marcus mediis Antonius annis
 Primus: in hoc juvenem se videt ore senex.
 Ars utinam mores, animumque effingere posset?
 Pulchrior in terris nulla tabella foret.

Ad Munatium Gallum. 33.

Simplicior priscis, Munati Galle, Sabinis,
 Cecropium superas qui bonitate senem:
 Sic tibi confoceri claros retinere Penates
 Perpetua natæ det face casta Venus:
 Ut tu, si viridi tinctos ærugine versus
 Forte malus livor dixerit esse meos,
 Ut facis, a nobis abigas: nec scribere quemquam
 Talia contendas carmina, qui legitur.
 Hunc servare modum nostri novere libelli;
 Parcere personis, dicere de vitiis.

Ad Casarem Trajanum, 34.

Dî tibi dent quicquid, Cæsar Trajane, mereris,
 Et rata perpetua, quæ tribuere, velint:
 Qui sua restituit spoliato jura patrono;
 Libertis exsul non erit ille suis.
 Dignus es, ut possis totum servare clientem,
 Et (liceat tantum vera probare) potes.

De

De Sulpitia. 35.

Omnes Sulpitiam legant puellæ,
 Vni quæ cupiunt viro placere.
 Omnes Sulpitiam legant mariti,
 Vni qui cupiunt placere nuptæ.
 Non hæc Colchidos asserit furorem,
 Diri prandia nec refert Thyestæ;
 Scyllam, Byblida, nec fuisse credit:
 Sed castos docet & pios amores,
 Lusus, delicias, faceríasque.
 Cujus carmina qui bene æstimarit,
 Nullam dixerit esse nequiores,
 Nullam dixerit esse sanctiores.
 Tales Aegeriæ jocos fuisse
 Vdo crediderim Numæ sub antro.
 Hac condiscipula vel hac magistra
 Esset doctior & pudica Sappho.
 Sed tecum pariter simulque viam
 Durus Sulpitiam Phaon amaret.
 Frustra: namque ea nec Tonantis uxor,
 Nec Bacchi, nec Apollinis puella
 Erepto sibi viveret Caleno.

In Munnam. 36.

Improba Massiliæ quicquid fumaria cogunt,
 Accipit ætatem quisq; uis ab igne cadus;
 Ate, Munna, venit: miseris tu mittis amicis
 Per freta, per longas toxica sæva vias.
 Nec facili pretio, sed quo contenta Falerni
 Testa sit, aut cellis Setia cara suis.
 Non venias quare tam longo tempore Romam,
 Hæc puto causa tibi est, ne tua vina bibas.

Ad Maternum, 37.

Iuris & æquarum cultor sanctissime legum,
 Veridico Latium qui regis ore forum,
 Municipi, Materne, tuo veterique sodali,
 Callaicum mandas si quid ad Oceanum.
 An Laurentino turpes in lirtore ranas,
 Et satius tenues ducere credis acos;
 Ad sua captivum quam saxa remittere nullum,
 Visus erit libris qui minor esse tribus?
 Et fatuum summa coenare pelorida mensa,
 Quosque tegit levi cortice concha brevis;

218 M. VAL. MARTIALIS
Ostrea Bajanis quam non Iuventia testis,
Quæ pueri domino non prohibente vorent ?
Hic olidam clamorosæ ages in retia vulpem,
Mordebitque tuos fordida præda canes :
Illic piscoso modo vix educta profundo
Impedient lepores humida lina meos.
Dum loquor, ecce, redit sporta piscator inani
Venator capta mele superbus adest.
Omnis ab urbano venit ad mare coena macello:
Callaicum mandas si quid ad Oceanum.

Ad Calenum. 38.

O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpitia tua jugales
Indulsi deus & peregit annos !
O nox omnis, & hora, quæ notata est
Caris littoris Indici lapillis !
O quæ proelia, quas utrimque pugnas
Felix lectulus, & lucerna vidit
Nimbus ebria Nicerotianis !
Vixisti tribus, & Calene, Iustis.
Aetas hæc tibi tota computatur ;
Et solos numeras dies mariti.
Ex illis tibi si diu rogata
Lucem redderet Atropos vel unam,
Malles quam Pyliam quater senectam.

In Lesbiam. 39.

Consule te Bruto quid iuras, Lesbia, nata ?
Mentiris. nata es, Lesbia, rege Numa ?
Sic quoque mentiris. namq; ut tua sæcula noris,
Ficta Prometheo diceris esse luto.

Ad Lupum, de Polla. 40.

Semper cum mihi diceretur esse
Secreto mea Polla cum cinædo :
Irrupi, Lupe : non erat cinædus.

In Proculejam, 41.

Mense novo Iani veterem, Proculeja, maritum
Deseris ; atque jubes res sibi habere suas.
Quid rogo, quid factum est ? subiti quæ causa
doloris ?
Nil mihi respondes. dicam ego : Prætor erat.
Constatura fuit Megalensis purpura centum
Millibus, ut minimum munera parca dare :

Et

Et populare sacrum bis millia dena tulisset,
Discidium non est hoc, Proculeja; lucrum est.

Ad Dindymum. 42.

Tam dubia est lanugo tibi, tam mollis, ut illam
Halitus, & soles, & levis aura terat.
Celantur simili ventura cydonia lana,
Pollice virgineo quæ spoliata nitent.
Fortius impressi quoties tibi basta quinque,
Barbatus labris, Dindyme, sio tuis.

Ad Philerotem. 43.

Septima jã, Phileros, tibi conditur uxor in agro,
Plus nulli, Phileros, quam tibi reddit ager.

Ad Q. Ovidium. 44.

Quinte Caledonios Ovidi visure Britannos,
Et viridem Tethyn, Oceanumque patrem;
Ergo Numæ colles, & Nomentana relinques
Orta? nec retinet rusque focusque senem?
Gaudia tu differs: at non & itamina differt
Atropos; atque omnis scribitur hora tibi.
Præstiteris caro (quis non hoc laudet?) amico,
Ut potior vita sit tibi sancta fides.
Sed reddare tuis tandem manfure Sabinis
Teque tuas numeres inter amicitias.

In delicatum lectorem. 45.

Si quid lene mei dicunt & dulce libelli,
Si quid honorificum pagina blanda sonat,
Hoc tu pingue putas, & costam rodere navis,
Ilia Laurentis cum tibi demus apri.
Vaticana bibas, si delectaris aceto:
Non facit ad stomachum nostra lagena tuam.

In Mathonem. 46.

Omnia vis belle, Matho, dicere: dic aliquando
Et bene: dic neutrum: dic aliquando male.

Ad (Iulium) Martialem. 47.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parta labore, sed relicta;
Non ingratus ager; focus perennis;
Lis nunquam; toga rara; meus quietas;
Vires

Vires ingenue; salubre corpus;
 Prudens simplicitas; pares amici;
 Convictus facilis, sine arte mensa;
 Nox non ebria, sed soluta curis;
 Non tristis torus, & ramen pudicus;
 Somnus qui faciat breves tenebras;
 Quod sis, esse velis, nihilque malis:
 Summum nec metuas diem, nec optes.

Parat Poeta convivium. 48.

Nunciat octavam Pharix sua turba juventæ,
 Et pilata redit jamque subitque cohors.
 Tæperat hæc thermas, nimios prior hora vapores
 Halat, & inmodico sexta Nerone calet.
 Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce venitis?
 Septem signa capit: sex sumus; adde Lupum.
 Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
 Attulit, & varias quas habet hortus opes:
 In quibus est lactuca sedens, & sectile porrum,
 Nec deest ructatrix mentha, nec herba salax,
 Secta coronabunt rutatos ova lacestos;
 Et madidum thynni de sale fumen erit.
 Gustus in his, una ponetur coenula mensa
 Hocdus inhumani raptus ab ore lupi,
 Et quæ non egeant ferro structoris ofella,
 Et faba fabrorum, prototomique rudes.
 Pullus ad hæc, coenisque tribus jam perna super-
 Addetur: saturis mitia poma dabo.
 De Nomentana vinum sine fæce lagena,
 Quæ bis Frontino Consule plena fuit.
 Accedent sine felle joci, ne mane timenda
 Libertas: & nil quod tacuisse velis.
 De Prasino conviva meus Veretoque loquatur,
 Nec facient quemquam potula nostra reum.

In Cottam. 49.

Cum potes amethystinos trientes,
 Et nigro madeas Opimiano;
 Propinas modo conditum Sabinum:
 Et dicis mihi, Cotta, Vis in auro?
 Quisquam plumbea vasa vult in auro?

Epitaphium Scorpi agitatoris. 50.

Frangat Idumæas tristis Victoria palmas:
 Plange Favor seiva pectora nuda manu.

Mutet

Mutet Honor cultus ; & iniquis munera flammis,
 Mitte coronatas Gloria mœsta comas,
 Heu facinus ! prima fraudatus, Scorpe, juventa
 Occidis ; & nigros tam cito jungis equos.
 Curribus illa tuis semper properata, brevisque,
 Cur fuit & vitæ tam prope meta tuæ ?

De eodem. 51.

Ille ego sum Scorpis, clamosi gloria Circi,
 Plausus Roma tui, deliciæque breves :
 Invida quem Lachesis raptum trieteride nona,
 Dum numerat palmas, credidit esse senem.

Ad Faustinum. 52.

Sidera jam Tyrius Phrixei respicit agni
 Taurus, & alternum Castora fugit hyems.
 Ridet ager, vestitur humus, vestitur & arbor.
 Ismarium pellex Attica plorat Iryn. (nav)
 Quos, Faustine, dies, qualem tibi Roma Raven-
 Abstulit ! ô soles ! ô tunicata quies !
 O nemus, ô fontes, solidumque madentis arenæ
 Littus, & æquoreis splendidus Anxur aquis:
 Et non unius spectator lectulus undæ,
 Qui vider hinc puppes fluminis, inde maris:
 Sed neque Marcelli, Pompejanumque, nec illic
 Sunt triplices thermæ, nec fora juncta quater
 Nec Capitolini summum penetrabile Tonantis,
 Quæque nirent cœlo proxima templa suo.
 Dicere te lassum quoties ego credo Quirino ;
 Quæ tua sunt, tibi habe: quæ mea, redde mihi.

De Theli spadone. 53.

Thelin viderat in toga spadonem ;
 Damnatam Numa dixit esse mœcham.

In Olim. 54.

Mensas, Ole, bonas ponis ; sed ponis operas.
 Ridiculum est : possum sic ego habere bonas.

In Marullam. 55.

Arrestum quoties Marulla penem
 Pensavit digitis, diuque mensa est :
 Libras, scriprula, sextulasque dicir.
 Idem post opus, & suas palæstras,
 Loro cum similis jacet remisso,

Quanto sit levior Marulla dicit.

Non ergo est manus ista, sed statera.

In Gallum. 56.

Tætis, Galle, jubes tibi me servire diebus.

Et per Aveninum ter quater ire tuum.

Eximit aut reficit dentem Cascellius ægrum :

Infestos oculis uris, Higine, pilos.

Non secat & tollit stillantem Fannius uvam :

Tristia fervorum stigmata delet Eros.

Enterocelarum fertur Podalirius Hermes.

Qui sanet ruptos, dic mihi, Galle, quis est ?

Ad Sextum. 57.

Argenti libram mittebas : facta selibra est,

Sed piperis. tanti non emo, Sexte, piper.

Ad Frontinum. 58.

Anxuris æquorei placidos, Frontine, recessus,

Et propius Bajas, littoreamque domum,

Et quod inhumanae Cancro fervente cicadae

Non novere nemus, flumineosque lacus ;

Dum colui, doctas tecum celebrare vacabat

Pieridas : nunc nos maxima Roma terit.

Hic mihi, quando dies meus est, jactamur in alto

Vrbis, & in sterili vita labore perit ;

Dura suburbani dum jugera pascimus agri,

Vicinosque tibi, sancte Quirine, Lares.

Sed non solus amat, qui nocte dieque frequentat

Limina : nec varem talia damna decent.

Per veneranda mihi Musarum sacra, per omnes

Iuro deos, & non officiosus amo.

In delicatum lectorem. 59.

Consumpta est uno si lemmate pagina, transis,

Et breviora tibi non meliora placent.

Dives & ex omni posita est instructa macello

Cœna tibi ; sed te mactea sola juvat.

Non opus est nobis nimium lectore guloso.

Hunc volo, qui fiat non sine pane saturus.

De Munna. 60.

Iura trium perit à Cæsare discipulorum,

Assuetus semper Munna docere duos.

Epita-

Epitaphium Erotii. 61.

Hic festinata requiescit Erotion umbra,
 Crimine quam fati sexta peremit hyems.
 Quisquis eris nostri post me regnator agelli,
 Manibus exiguis annua iusta dato.
 Sic lare perpetuo, sic turba sospite, solus
 Flebilis in terra sit lapis iste tua.

Ad magistrum ludi. 62.

Ludi magister parce simplici turbæ :
 Sic te frequentes audiant capillati,
 Et delicatæ diligat chorus mensæ ;
 Nec calculator, nec notarius velox
 Majore quisquam circulo coronetur.
 Albæ leone flammeo calent luces,
 Tostamque fervens Iulius coquit messem.
 Cirrata loris horridis Scythæ pellis,
 Qua vapulavit Marfyas Celænzæus,
 Ferulæque tristes, sceptrâ pædagogorum,
 Cessent, & Idus dormiant in Octobres :
 Aestate pueri si valent, iatis discunt.

*Epitaphium nobilis mar-
 tina. 63.*

Marmora parva quidem sed non cessura, viator,
 Mausoli saxis Pyramidumque legis.
 Bis mea Romano ipectata est vita Terento ;
 Et nihil extremos perdidit ante iogos.
 Quinque dedit pueros, totidem mihi Iuno puellas.
 Cluserunt omnes lumina nostra manus.
 Contigit & thalami mihi gloria rara, fuitque
 Vna pudicitia mentula notæ meæ.

*Ad Pollam, Lucani poeta con-
 jugem. 64.*

Contigeris regina meos si Polla libellos,
 Non terrica nostros excipe fronte jocos.
 Ille tuus vates, Heliconis gloria nostri,
 Pieria caneret cum fera bella tuba,
 Non tamen erubuit lascivo dicere versu :

Si nec pedicor, Cotta, quid hic facio?

In Carmenionem. 65.

Cum te municipem Corinthiorum
 Iactes. Carmenion, negante nullo ;
 Cur frater tibi dicor ; ex Iberis
 Et Celtis genitus, Tagique civis ?
 An vultu similes videmur esse ?
 Tu flexa nitidus coma vagaris ;
 Hispanis ego contumax capillis.
 Levis dropace tu quotidiano ;
 Hirsutis ego cruribus, genisque.
 Os blæsum tibi, debilisque lingua est ;
 Nobis filia fortius loquetur.
 Tam dispar aquilæ columba non est,
 Nec dorcas rigido fugax leoni.
 Quare desine me vocare fratrem,
 Ne te, Carmenion, vocem fororem.

De Theopompo. 66.

Quis rogo tam durus, quis tam fuit ille superbus,
 Qui iussit fieri te, Theopompe, cocum ?
 Hanc aliquis faciem nigra violare culina
 Sustinet ? has uncto polluit igne comas ?
 Quis potius cyathos, aut quis crystallâ tenebit ?
 Qua sapiens melius mixta Falerna manu ?
 Si tam fidereos manet exitus iste ministros :
 Iupiter utarur jam Ganymede coco.

Epitaphium Melanthionis & Plotiæ. 67.

Pyrrhæ filia, Nestoris noverca,
 Quam vidit Niobe puella canam,
 Laertes aviam senex vocavit,
 Nutricem Priamus, socrum Thyestes :
 Iam cornicibus omnibus superstes,
 Hoc tandem sita prurit in sepulcro
 Calvo Plotia cum Melanthione.

In Laliam. 68.

Cum tibi non Ephesos, nec sit Rhodas, aut Mity-
 Sed domus in vico, Lælia. Parricio ; (lene,
 Deque coloratis nunquam lita mater Etruscis,
 Durus Aricina de regione pater ;
 Ζῶν καὶ ψυχὴ lascivum congeris usque,
 Pro pudor, Herfilia civis & Egeria.

LeGulas.

estulas has v
 sed quem lab
 are cupis que
 Numquid cu
 breet edifo
 Non tamen

rhodes das,
 hoc est uxore

A

mel mibi vix

desider tibi

us at quam

labantur tot

oc resalutari

stator &

ad lucife

oc me pri

consul, p

aditur toto

oc cauffid

oc si te rhet

oc post dec

strantes.

Lachry

L

quis læta t

oc, breven

indist hac c

Nulli sorte i

sex iustria t

ferunt uno

tamen ut p

aprobius n

De C

ocira Blandi

ocis misera

ocurus Dom

non est lo

oc Parthos p

ocurpe s, hu

Lectulus has voces, nec lectulus audiat omnis,
 Sed quem lascivo stravir amica viro.
 Scire cupis quo casta modo matrona loquaris;
 Numquid cum crissas, blandior esse potes?
 Tu licet edifcas totam referasque Corinthon,
 Non tamen omnino, Lælia, Lais eris.

De Polla. 69.

Custodes das, Polla, viro; non accipis ipsa:
 Hoc est uxorem ducere, Polla, virum.

Ad Potitum. 70.

Quod mihi vix unus toto liber exeat anno,
 Desidæ tibi sum, docte Potite, reus.
 Iustus at quanto mirere, quod exeat unus,
 Labantur tibi cum mihi sæpe dies.
 Nunc resalutantes video nocturnus amicos,
 Gratulor & multis; nemo, Potite, mihi.
 Nunc ad luciferam signat mea gemina Dianam:
 Nunc me prima sibi; nunc sibi quinta rapit.
 Nunc consul, prætorve tenet, reducesque choreæ:
 Auditur toto sæpe poëta die.
 Sed nec caussidico possis impune negare,
 Nec si te rhetor grammaticusve rogent:
 Balnea post deciman lasso, centunque petuntur:
 Quadrantes. fiet quando, Potite, liber?

*Lachrymæ Rabirii in funere
 parentum. 71.*

Quisquis læta tuis & sera parentibus optas
 Fata, brevem titulum marmoris hujus ama.
 Condidit hac caras tellure Rabirius umbras:
 Nulli sorte jacent candidiore senes.
 Bis sex lustra tibi nox mitis & ultima cluit:
 Arserunt uno funera bina rogo.
 Hos tamen ut primis raptos sibi quærit in annis,
 Improbius nihil his fletribus esse potest.

De Casare (Trajano). 72.

Frustra Blanditiæ venitis ad me.
 Attritis miserabiles labellis:
 Diciturus Dominum Deumque non sum:
 Iam non est locus hac in urbe vobis.
 Ad Parthos procul ite pileatos,
 Et turpes, humilesque, supplicesque
 P. Pictorum

Pictorum sola basiate regum.

Non est hic dominus, sed Imperator,

Sed justissimus omnium Senator;

Per quem de Strygia domo reducta est

Siccis rustica Veritas capillis.

Hoc sub principe, si sapias, caveto,

Verbis, Roma, prioribus loquaris.

Ad Marcum. 73.

Littera facundi gratum mihi pignus amici

Pertulit, Aufoniæ dona severa togæ.

Qua non Fabricius, sed vellet Apicius uti,

Vellet Mæcenas Cæsareanus eques.

Vilior hæc nobis alio mittente fuisset;

Non quacunque manu victima cæsa litat:

A te missa venit, possem nisi munus amare,

Marce, tuum: poteram nomen amare meum.

Munere sed plus est, & nomine gratius ipso,

Officium docti iudiciumque viri.

Ad Romam. 74.

Iam parce lassio, Roma, gratulatori,

Lassio clienti: quamdiu saluator

Anteambulones & togatulos inter

Centum merebor plumbeos die toto;

Cum Scorpus una quindecim graves hora

Ferventis auri victor auferat saccos?

Non ego meorum præmium libellorum

(Quid enim merentur?) Apulos velim campos.

Non Hybla, non me spicifer capit Nilus,

Nec quæ paludes delicata Pomptinas

Ex arce clivi spectat uva Setini.

Quid concupiscam quæris ergo? dormire.

De Galla. 75.

Millia viginti quondam me Galla poposcit;

Et, fateor, magni non erat illa nimis.

Annus abit: bis quina dabis sestertia, dixit.

Poscere plus visa est, quam prius, illa mihi.

Iam duo poscenti post sextum millia mensem,

Mille dabam nummos: noluit accipere.

Transferant binæ forsan ternæve Kalendæ,

Aureolos ultro quattuor ipsa petit:

Non dedimus. centum iussit me mittere nummos:

Sed visa est nobis hæc quoque summa gravis.

Sportula

Sportula nos junxit quadrantibus arida centum:
 Hanc voluit: puero diximus esse datam.
 Inferius numquid potuit descendere? fecit.
 Dat gratis. ultro dat mihi Galla. nego.

De Mævio, 76.

Hoc Fortuna tibi videtur æquum?
 Civis non Syriæve, Parthiæve,
 Nec de Cappadocis eques catastis,
 Sed de plebe Remi, Numæque verna,
 Iocundus, probus, innocens, amicus,
 Lingua doctus utraque; cujus unum est,
 Sed magnum vitium, quod est Poeta;
 Bullo Mævius alget in cucullo:
 Cocco mulio fulget Incitatus.

De Caro, ad Maximum. 77.

Nequius à Caro nihil unquam, Maxime, factum
 est,
 Quam quod febre perit: fecit & illa nefas.
 Sæva, nocens febris saltem quartana fuisses!
 Servati medico debuit ille suo.

Ad Macrum, 78.

Ibis littoreas, Macer, Salonas:
 Ibit rara fides, amorque recti,
 Et secum comitem trahet pudorem.
 Semper pauperior redit potestas.
 Felix auriferæ colone terræ,
 Rectorem vacuo sinu remittes;
 Optabisque moras, & exeuntem
 Vdo Dalmata gaudio sequeris.
 Nos Celtas, Macer, & truces Iberos
 Cum desiderio tui petemus.
 Sed quæcunque tamen feretur illinc:
 Piscosi calamo Tagi notata
 Macrum pagina nostra nominabit.
 Sic inter veteres legar Poetas,
 Nec multos mihi præferas priores;
 Vno sed tibi sim minor Carullo.

De Torquato & Otacilio, 79.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum:
 Ad quartum breve rus emit Otacilius.

228 M. VAL. MARTIALIS
Torquatus nitidas vario de marmore thermas
Exstruxit: cucumam fecit Otacilius.
Disposuit daphnona suo Torquatus in agro:
Castaneas centum sevit Otacilius.
Consule Torquato vici fuit ille magister,
Nec minor in tanto visus honore sibi.
Grandis ut exiguum bos ranam ruperat olim;
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

De Erote. 80.

Plorat Eros, quoties maculosæ pocula myrrhæ
Inspicit, aut pueros, nobiliusve citrum.
Et gemitus imo ducit de pectore, quod non
Tota miser coemat Septa, feratque domum.
Quam multi faciunt, quod Eros. sed lumine sicco
Pars major lachrymas ridet, & intus habet.

De Phyllide. 81.

Cum duo venissent ad Phyllida mane fututum,
Et nudam cuperet sumere uterque prior:
Promisit pariter se Phyllis utrique dat uran,
Et dedit; ille pedem sustulit, hic tunicam.

Ad Gallum. 82.

Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus,
Mâne, vel à media nocte rogatus ero.
Stridentesque feram flatus Aquilonis iniqui,
Et patiar nimbos, excipiamque nives.
Sed si non fias quadrante beator uno,
Per gemitus nostros, ingenuasque cruces:
Parce precor fesso, vanosque remitte labores,
Qui tibi non profunt, & mihi, Galle, nocent.

Ad Marinum. 83.

Raros colligis hinc & hinc capillos,
Et latum nitidæ, Marine, calvæ
Campum temporibus tegis comatis:
Sed moti redeunt jubente vento,
Reddunturque sibi, caputque nudum
Cirris grandibus hinc & inde cingunt.
Inter Spendophorum Telesphorumque
Cidæ stare purabis Hermerotem.
Vis tu simplicius senem fateri;
Ut tandem videaris unus esse?

Tonsor

Tonsor jam reliquos metat capillos.
Calvo turpius est nihil comato.

De Afro, ad Cæditianum. 84.

Miraris, quare dormitum non eat Afer?
Accumbat cum quâ, Cæditiane, vides.

De Ladonte nauta. 85.

Iam senior Ladon Tiberinæ nauta carinæ
Proxima dilectis rura paravit aquis.
Quæ cum sæpe vagus premeret torrentibus undis
Tybris, & hiberno rumperet arva lacu
Emeritam puppim ripa quæ stabat in alta,
Implevit saxis, opposuitque vadis.
Sic nimias avertit aquas. quis credere posset?
Auxilium domino merfa carina tulit.

De Lauro, 86.

Nemo nova caluit sic inflammatus amica,
Flagravit quanto Laurus amore pilæ.
Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas,
Nunc postquam desit ludere, prima pila est.

De natali Restituti. 87.

Octobres age sentiar Kalendas
Facundi pia Roma Restituti.
Linguis omnibus & favere votis;
Natalem colimus, tacete lites.
Abstine cereus aridi clientis,
Et vani triplices, brevesque mappæ
Expectent gelidi jocos Decembris.
Certent muneribus beatiore:
Agrippæ tumidus negotiat or
Cadmî municipes ferat lacernas.
Pugnorum reus ebræque non oclis
Coenatoria mittat advocato.
Infamata virum puella vicit?
Veros Sardonychas, sed ipsa tradat.
Mirator veterum senex avorum,
Donet Phidiaci toreauma cæli.
Venator leporem, colonus hœdum,
Piscator ferat æquorum rapinas.
Si mittit sua quisque: quid Poetam
Misturam tibi, Restitute, credis?

Ad Cottam, 88.

Omnes persequeris prætorum, Cotta, locellos;
Accipis & ceras: officiosus homo es.

De statua Iunonis, 89.

Iano labor, Polyclete, tuus, & gloria felix,
Phidiacæ cuperent quam meruisse manus,
Ore nitet tanto, quanto superesset in Ida
Iudicæ convictas non dubitante deas.
Iunonem, Polyclete, suam nisi frater amaret,
Iunonem poterat frater amare tuam.

In Ligellam, 90.

Quid vellis vetulum, Ligella, cunnum?
Quid busti cineres tui lacestis?
Tales munditiæ decent puellas:
Nam tu jam nec anus potes videri.
Istud, crede mihi, Ligella, bellè
Non mater facit Hæctoris, sed uxor.
Erras, si tibi cunnum hic videtur,
Ad quem mentula pertinere desit.
Quare, si pudor est, Ligella, noli
Barbam vellere mortuo leoni.

De Almo, 91.

Omnes eunuchos habet Almo, nec arrigit ipse,
Et queritur, pariat quod sua Polla nihil.

Ad Marium, 92.

Mari quietæ cultor & comes vitæ,
Quo cive prisca gloriatur Atina;
Has tibi gemellas barbari decus luci
Commendo pinus, ilicesque Faunorum,
Et semidocta villici manu structas
Tonantis aras, horridique Silvani,
Quas tinxit agni sæpe sanguis, aut hoedi,
Dominamque sancti Virginem Deam templi,
Et quem sororis hospitem vides castæ
Martem mearum principem Kalendarum,
Et delicatæ laureum nemus Floræ,
In quod Priapo persequente confugit.
Hoc omne agelli mite parvuli numen
Seu tu cruore, sive thure placabis:
Vbicunque vester Martialis est dices,
Hæc, ecce, mecum dextera litat vobis

Absens

Absens sacerdos ; vos, putare præsentem,
Et date duobus, quidquid alter optarit.

Ad Clementem. 93.

Si prior Euganeas Clemens Helicaonis oras,
Pictaque pampineis videris arva jugis :
Perfer Atestinæ nondum vulgata Sabinæ
Carmina, purpurea sed modo culta toga.
Ut rosa delectat, metitur quæ pollice primo ;
Sic nova nec mento sordida charta juvat.

Munusculum pomorum. 94.

Non mea Massylus servat pomaria serpens,
Regius Alcinoi nec mihi servit ager :
Sed Nomentana securus germinat hortus
Arbore, nec furem plumbea mala timent.
Hæc igitur media quæ sunt modo nata Subura,
Mittimus autumnæ cerea poma mei.

Ad Gallam. 95.

Infantem tibi vir, tibi, Galla, remisit adulter.
Hi, puto, non dubiè se futuisse negant.

Ad Avium. 96.

Sæpe loquar nimium gentes quod, Avite, remotas,
Miraris Latia factus in urbe senex ;
Auriferumque Tagum sitiam, patriumq; Salonem,
Et repetam saturæ sordida rura casæ.
Illa placet tellus, in qua res parva beatum
Me facit, & tenues luxuriantur opes.
Pascitur hic, ibi pascit ager : tepet igne maligno
Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.
Hic pretiosa fames, conturbatorque macellus ;
Mensa ibi divitiis ruris operata sui.
Quattuor hic æstate togæ pluresve turuntur :
Autumnis ibi me quattuor una tegit.
I, cole nunc reges : quidquid non præstat amicus,
Cum præstare tibi possit, Avite, locus.

De Numa. 97.

Dum levis arfura struitur libitina papyro,
Dum myrrham & casiam flebilis uxor emit :
Iam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato
Hæredem scripsit me Numa : convaluit.

In Publium. 98.

Addat cum mihi Cæcubum minister
 Idæo resolutior cinædo,
 Quo nec filia cultior, nec uxor,
 Nec mater tua, nec soror recumbit :
 Vis spectem potius tuas lacernas,
 Aut citrum vetus, Indicosque dentes ?
 Suspectus tibi ne tamen recumbam,
 Præsta de grege, sordidaque villa
 Tonfos, horridulos, rudes, pusillos
 Hircosi mihi filios subulci,
 Perdet te dolor hic : habere, Publi,
 Mores non potes hos, & hos ministros.

De Statua Socratis. 99.

Si Romana forent hæc Socratis ora, tuissent
 Iulius in Satyris qualia Rûsus haber.

In plagiarium. 100.

Quid, stulte, nostris versibus tuos misces ?
 Cum litigante quid tibi miser libro ?
 Quid congregare cum leonibus vulpes,
 Aquilisque similes facere noctuas quæris ?
 Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
 Inepte, frustra crure ligneo cures.

De Capitolino. 101.

Elytho redeat si forte remissus ab agro
 Ille suo felix Cæsare Gabba vetus ;
 Qui Capitolinum pariter Gabbamque jocantes
 Audierit ; dicet : rustice Gabba tace.

*Ad Avitum, de Philano, &**Gaditano. 102.*

Qua factus ratione sit requiris,
 Qui nunquam fuit, pater Philœnus ?
 Gaditanus, Avire, dicar istud :
 Qui scribit nihil & tamen Poëta est.

*Ad municipes suos Bilbili-**tanos. 103.*

Municipes Augusta mihi quos Bilbilis acri
 Monte creat, rapidus quem Salo cingit aquis :
 Ecquid

Ecquid læta juvat vestri vos gloria vatis ?
 Nam decus, & nomen, famaue vestra sumus.
 Nec sua plus debet tenui Verona Catullo,
 Meque velit dici non minus illa suum.
 Quatuor accessit tricesima messibus æstas,
 Ut sine me Cereri ruitica liba datis.
 Moenia dū colimus dominæ pulcherrima Romæ:
 Mutavere meas Itala regna comas.
 Excipitis reducem placida si mente, venimus :
 Aspera si geritis corda, redire licet.

Ad librum proficiscente in Hispaniam Tarraconensem Fla-

v. 104.

In nostro comes, i, libelle, Flavo
 Longum per mare, sed faventis undæ ;
 Et cursu facili, tuisque ventis
 Hispanæ pete Tarraconis arces.
 Illinc te rota tollet, & citatus
 Altam Bilbilin ; & tuum Salonem
 Quinto forsitan effedo videbis.
 Quid mandem tibi quæris ? ut sodales
 Paucos, sed veteres, & ante brumas
 Triginta mihi quattuorque vivos
 Ipsa protinus à via salutes ;
 Et nostrum admoneas subinde Flavum,
 Iucundos mihi nec laboriosos
 Secessus spatium parat salubri,
 Qui pigrum faciant tuum parentem.
 Hæc sunt. jam tumidus vocat magister,
 Castigatque moras ; & aura
 Laxavit melior. vale, libelle.
 Navem, scis pato, non moratur unus.

P §

M. VAL